



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

76. Godefridus Peruesij dominus Argentoniensis monasterij fundationem confirmat, an. 1230. Ioannes Leodicensis Episcopus Argentonium in protectionem suscipit, an. 1232.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

## NOTATIO.

It quondam Aconensis Episcopi.) Designatur hic Iacobus à Vi-  
triaco, Aconensis in Syria Episcopus, cuius Historia Orientalis &  
Occidentalis, aliaque scripta exstant.

## CAPVT LXXVI.

*Godefridus Peruesij dominus Argentoniensis monasterij fun-  
dationem confirmat an. 1230.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Vniuersis Christi fide-  
libus, tam præsentibus quàm futuris, præsentibus litteras inspectu-  
ris, ego GODEFRIDVS dominus de Peruez, Ducis Lotharingæ fra-  
tris filius, cognoscere veritatem.

Vniuersitati vestræ notum facio, quòd Willelmus de HAREN-  
TON, & vxor sua IDA, de licentia & voluntate mea, in eleemosy-  
nam contulerunt domui de Argenton, Cistertiensis ordinis, Leo-  
diensis diocesis, terras, aquas, siluas, prata & ædificia, cum mo-  
lendino & rebus alijs, tam mobilibus quàm immobilibus, quas ha-  
bent & habituri sunt apud Harenton, nihil mihi iuris omnino, ni-  
hil sibi vel suis heredibus, successoribus, aut propinquis reseru-  
ando, præter vsumfructum, quem dicti Willelmus & Ida in rebus  
supradictis, quamdiu vixerint, tantum sibi reseruauerunt, & se-  
ptem bonaria terræ, quæ iam dicti Willelmus & Ida domui Gem-  
blacensi . . . . tenentur assignare post obitum suum, iure perpetuo  
possidenda.

In huius rei testimonium, vt hæc rata & inconcussa perma-  
neant, præsentibus litteras sigilli nostri munimine dignum duxi ro-  
borandas.

Præterea etiam omnibus innotescat, quòd voluntate nostra &  
assensu, filia domini Thomæ militis de Smechim, scilicet Clara &  
Achtas, domum monialium de Harenton possunt intrare, & ibi-  
dem de licentia nostra habitum assumere monialem. Datum anno  
Domini millesimo ducentesimo tricesimo, feria tertia post festum  
B. Laurentij. 1230.

A a a 3

Ioannes



*Ioannes Leodicensis Episcopus Argentonium in protectionem  
suscipit an. 1232.*

**I**OANNES, Dei gratia Leodiensis Episcopus, vniuersis præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Vniuersitati vestræ notum facimus, quod domum monialium de Argenton, Cisterciensis ordinis, & locum ipsarum sub nostra protectione recipimus; donum, quod eis contulit Willelmus de Harenton & Ida vxor sua, auctoritate nostra confirmantes eisdem, & alia similiter quæ à fidelibus eis iuste & rationabiliter sunt collata.

1232. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense Augusto, feria sexta post festum beati Laurentij.

### NOTATIONES.

**PERVEZ)** siue Perues, quod Antonino in Itinerario est Peruicium, Gallo-Brabantia municipium, titulo Baronia clarum, potentes olim dominos habuit, ex ipsa stirpe Ducum Brabantia: cui stirps Hornana successit. Theodericus Hornanus, Peruesij & Duffla dominus, an. 1375. tabulas Cortebergenses signauit.

**DUCEIS** Lotharingia fratris filius.) Notent antiquitatis nostratis studiosi, Godefrido Peruesij domino patrem fuisse non Ducem, sed fratrem Ducis Brabantia seu Lotharingia inferioris.

### CAPVT LXXVII.

*Scladiniense Canoniorum collegium, in agro & diocesi Namurcensi, an. 1229. dotatur à Florentio Abbate S. Cornelij Indensis prope Aquasgrani.*

**F**LORENTIUS Dei gratia Abbas, totusque Conuentus Indensis ecclesie, omnibus præsentes litteras inspecturis gratiam Dei & orationes.

Cum omne bonum à Deo sit, vnde omnis fidelis illud amare debeat & amplecti, per præsentem scripturam notum facimus vniuersis, decimam totam grossam & minutam, quam habebamus & possi-